

2119  
2588  
Q. D. B. V.  
THESIUM SELECTARUM,  
EX

UNIVERSA JURIS  
PRIVATI PRUDENTIA  
DECERPTARUM,

SPECIMEN INAUGURALE,

QUOD,

MAGNIFICI FACTORUM ORDINIS DECRE-  
TO ET AUTORITATE INTERCEDENTE,  
PRÆSIDE

NICOLAO MARTINI, JC.

ET ANTECESS. PRIMARIO, SERENISSIMI DUCIS

SLESVICI ET HOLSATIÆ CONSILIARIO JUSTI-  
TIÆ, PANDECT. ET PHILOSOPHIÆ CIVIL. PRO-  
FESSORE PUBLICO,

PRO SUMMIS IN JURE UTROQUE HONORIBUS AC  
PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME

Consequendis,

Publicæ Eruditorum disquisitioni exhibet

THEODORUS Friederich Goldmar / Pomeranus,

Ordin. Slesvic. & Holsat. Ducat. SYNDICUS.

Diebus 4. & 5. Decembr. M. DCCII.  
horis ante meridianis.

---

Kiloni, Typis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr.

Diss. jur. civ.

562,38



THESIUM SELECTARUM

DAVIDEUS JURIS

PRIVATI IUDICII

DECRETARUM

SALOMONIS

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM

DECRETARUM





J. N. D. N. J. C.



Uanquam huic inaugurali Disputa-  
tioni, alia jam tum materia desti-  
nata erat, mutare tamen animum,  
non leves causa, & superveniens  
quaedam inevitabilis festinatio, sua-  
serunt. In universum igitur Juris Civilis Campum  
progredi, indeque flores quosdam nobiliores decerpes-  
re consultum duxi, eoque magis, cum & illi tanto  
uberiorem differendi materiam suppeditabunt.

I.



Illa Juris significatio quam maxime pro-  
pria est, per quam denotat idem quod  
Lex; quo significatu est *Jussum supe-*  
*rioris, inferiori prescriptum, ad quod*  
*actiones suas hic componat atque instituat.*

II.

Moralium Consultis recte dividitur Jus in  
*Naturale & Voluntarium.*

III.

Naturale fontem habet Voluntatem Divinam,  
naturæ inscriptam, in Decalogo repetitam, & in Scri-  
pturis, uberius declaratam.



IV.

Jus Voluntarium humanum omne Civile esse statuimus, adeoque singulorum populorum, quod in quam plurimis rebus, cum plurium gentium legibus civilibus coincidit, adeoque Juri gentium vulgo imputatur.

V.

Legitima defensio est *Vis, nobis, aut rei nostræ illegitimè illatæ, moderata propulsatio*, quam post constituta judicia quoquè licitam ac permissam esse, dubium vix habet.

VI.

Jus civile, quod in singulis civitatibus obtinet, fragili admodum fundamento nititur, adeoque mutationi est obnoxium.

VII.

Consuetudo est Jus, tacitâ superioris voluntate, quæ pro fundamento tamen scientiam habet, receptum.

VIII.

Tria summa Juris sunt Capita; *Personæ* scilicet, *Res, & Actiones*.

IX.


Persona est homo consideratus cum jure, quo fruitur in societate cum aliis.

X.

Juris hujus potissima quidem, non sola tamen causa, est *Status*, qui est *conditio personarum civilis, quæ efficit, ut in societate hominum viventes, eodem jure non omnes fruuntur*; quod tamen latius h. l. exsequi, nostri non est instituti.

XI.





XI.

Potestas patris in liberos, quæ temporibus antiquis, & stante Republicâ, apud Romanos obtinebat, plane tyrannica erat, adeoque nullo modo in usum revocanda, quicquid hic pro barbaro, per legem Romuli introducto jure, nonnulli moliantur.

XII.

Plenissimus legitimandi modus est, qui fit per subsequens matrimonium, quo tamen non omnes ante nati liberi, ne hodie quidem, legitimantur. *C. Tanta 6. Qui filii sint legit.*

XIII.

Ad tale matrimonium dotalia instrumenta jure civili requiri, verius est.

XIV.

An Jure Canonico dotalia s. nuptialia instrumenta sint necessaria, valde dubium est, neque ex allegato *c. 6.* colligi firmiter posse, statuimus.

XV.

In locum adoptionis hodie successisse *Unionem prolium* Germ. *Die ein Kindschaft* / multis persuasum est, cum quibus contendere hic nolumus.

XVI.

In Corpora & Jura, res non male dividit *JCtus* in *l. 222. d. V. S.*

XVII.

Rerum, in mobiles & immobiles, divisionem, male omisit Imperator. *tit. de Reb. corpor. & incorp.*

XVIII.

Nomina & Actiones per se neque mobiles neque



que immobiles res dici possunt, sed pro diversitate rerum ad quas pertinent, modo pro mobilibus modo pro immobilibus habentur.

XIX.

Citatio in stricta significatione, talis est actus, quo in iudicium venire quis iubetur, ut iudicium præparetur, sive vocatio quæ iudicium præparat.

XX.

Præventioni locus non est, nisi in concurrentia jurisdictionis, cuius exercitium pluribus competere poterat.

XXI.

Litis-pendentia est status causæ, per quem causa ad iudicem certum delata, ita jam ad eius cognitionem pertinet, ut ab eo nequeat avocari.

XXII.

Hanc, non sola libelli oblatio, sed citatio legitime insinuata, inducit.

XXIII.

A parte actoris sufficit, citationem esse decretam; a rei parte, per solam eius insinuationem inducitur. *Blum. Process. Cam. tit. 25. n. 53. & quos ibi laudat Dd.*

XXIV.

Reus ad certam causam vocatus, ad aliam respondere non tenetur. *L. 1. pr. ff. de Edendo. l. 2. §. 3. ff. de Judiciis.* Contrariari communio rem sententiam dicit *Gailius Lib. 1. Obs. 51. n. 7.* Sed ratio, qua utitur, non stringit.

XXV.



An actio ad rem immobilem competens, ab onere satisfactionis liberet, quæritur? Nos affirmabimus.

XXVI.

Hodie ex pacto quovis nasci actionem, certum est; quod an juri Canonico sit tribuendum, disceptatur; Nos cum Berengario Fernando negamus. Affirmantes nituntur C. 1. & 3. de Pact. ex quibus tamen id non satis probatur.

XXVII.

Insigne est inter transactionem, & amicabilem compositionem, discrimen, de quo negotio, data occasione, pluribus dicitur

XXVIII.

An ex l. 2. C. de Rescind. Vend. rescindi transactio possit, controvertitur, omnium optime facere illos, nos existimamus, qui inter jus & æquitatem distinguunt.

XXIX.

Salarium Advocatis debitum, dicitur Honorarium, quod detur pro opera, quæ beneficii loco præstatur. Vid. Barbof. ad l. 3. C. de postul. n. 5.

XXX.

Advocati in jure errantis error non nocet Clienti, hunc enim errorem iudex debet supplere.

XXXI.

Ratione delicti forum etiam quem sortiri, ut ibi scilicet conveniatur, ubi deliquit, extra controversiam est, & quidem ob delictum privatum, reus in loco delicti non aliter potest conveniri, quam si  
ibi



ibi reperiatur, quod in delictis publicis secus est. *Carpz. l. 2. Resp. 26.*

XXXII.

Quoad injurias, non in loco scriptionis sed in loco receptionis literarum, delictum censetur commissum. *Carpz. l. 2. Resp. 26. n. 17.*

XXXIII.

Prudens est Caji consilium, quod *l. 24. ff. de R. V.* suggerit, ei, qui rem petere destinavit; nempe ut animadvertat, an aliquo interdicto nancisci possessionem possit? Consultum quoque est, Publiciana uti; unde usu fori obtinuit, ut publiciana hæc, cum rei vindicatione, possit cumulari uno libello. *Gail., I. Obs. 62. n. 4.*

XXXIV.

*Hereditatis petitio* etiam datur emptori hereditatis. *l. 54. ff. b. t. & modo directa, modo utilis. l. 5. C. de hered. vel act. vend. ibique Brunneman.*

XXXV.

An adversus hereditatis emptorem detur, quæritur? stricto jure, & si de propria hujus actionis indole sermo sit, non dari, quorundam sententia est.

XXXVI.

Malæ fidei possessor omnes fructus restituit, non modo perceptos sed & percipiendos. Bonæ fidei possessor, omnes, non industriales tantum, sed & naturales, ante litis contestationem, lucratur. *vid. l. 25. §. 7. ff. de heredit. pet.*

XXXVII.

Servitutem mixtam, qua Rei Persona serviat, qua-



qualem nonnulli describunt, non dari, certum est, neque molendina bannalia faciunt exemplum.

XXXVIII

Plus juris esse in quasi usufructu, quam in proprio, non inepte poterat videri dicendum; cum hic usum rei innoxium tantummodo, ille vero etiam abusum concedat.

XXXIX.

Ususfructus in causalem & formalem divisio, nobis non placet, quinimo prorsus displicet.

XL.

Ususfructum extraneo cessum statim ad proprietarium reverti, nobis vero propius videtur.

XLI.

An ad Cautionem Juratoriam fit admittendus usufructuarius pauper, disceptant Dd. Nos iudicis arbitrio rem deferimus.

XLII.

In materia servitutum, ædificia omnia, quocunque loco, & in quemcunque usum exstructa, prædia urbana, quoad denominationem servitutis scilicet, dicuntur.

XLIII.

Pignus (quod nobis h. l. est *Jus in bonis debitoris, creditori legitime constitutum, quo magis in tuto sit creditum,*) aut publica aut privata voluntate constituitur, adeoque in *Necessarium & Voluntarium* recte dividitur. Illud, cum vel Lex, vel Magistratus tribuat, in *Legale & Prætorium* dispesci, notum est.

XLIV.

Pignus *Voluntarium*, tametsi privata Voluntate

B

con-



constituatur, non omne attamen conventionale est; atque hinc non male, in *conventionale & tacitum* subdividi poterit, de quo negotio publice plura dicendi fortassis occasio erit. *Vid. l. 26. pr. de pign. act. & l. 12. ff. de aliment. & cib. legat.* In hoc præsumpta voluntas conficit negotium.

XLV.

Non omnes res, quæ in commercio esse dicuntur, etiam oppignorari possunt.

XLVI.

Pignus Prætorium in specie sic dictum, & Judiciale, in eo quoque differunt, quod hoc tribuat etiam Jus possessionis, illud vero non nisi nudam detentionem, aut rei custodiendæ Jus operetur. *Vid. Dd. ad tit. de Pign. & hyp.*

XLVII.

Pignus generale etiam comprehendit Nomina Jura & Actiones, sive bona simpliciter, sive bona mobilia ac immobilia sint nominata, etiamsi non sit adjectum verbum *Omnia.* *add. Bach. ad Treutl. Disp. 1. Vol. 2. th. 2. lit. D.*

XLVIII.

Quædam tamen bona ad hoc pignus generale non pertinent, qualia sunt: (1) Feudalia. (2) Dotalia, (3) quæ ex alia, quam hereditatis causa sunt hereditate hærita (4) quæ verosimiliter quis non erat obligaturus.

XLIX.

Pignus speciale, quod in re certa & speciali constituitur.

stitu-



stitutum, etiam in universitate corporum constitui potest. *Dd. ad Tit. de Pign. & hypothec.*

L.

Antichresis, *que mutuus pignoris usus. l. II. § 1. de pign. & hypoth.* dicitur, non est, si cum creditore debitor paciscatur, ut fructus creditori ex re pignoriata obvenientes, in sortem imputentur. *Vid. l. 39. ff. de. pign. act.*

LI.

Datur antichresis mixta, quam ex *Novella 120.* nonnulli deducunt, de quo ex occasione differendum.

LII.

Valere etiam ultra legitimum usurarum modum conventionem, nos statuimus.

LIII.

An *Legi ultimæ C. de Pact. Pign.* renunciare debitor possit, disceptatur, nos negabimus.

LIV.

Pactum, ut creditori liceat ingredi fundum pignoratatum, paratam quidem habet executionem, non tamen hunc habet effectum, quod propria quis autoritate apprehendere possessionem possit. *l. 3. C. de Pign. & hyp.* quam legem de sola urbanitate, frustra quidam interpretantur.

LV.

Pignore citra culpam creditoris amisso, debitum nihilominus petere creditor potest. *l. 6. & 9 ff. de pignerat. act. §. ult. Instit. Quib. mod. re contrab. Oblig.*

LVI.

Actio pignoratitia directa, utut soluto demum debito

B 2

debito



debito competat, si tamen in iudicio pecuniam offerat debitor, rem pignoratam consequitur. *l. 9. §. fin. ff. b. tit.*

LVII.

Etiam competere hanc actionem, debito quamvis non soluto, si pignore creditor abutatur, Doctores haud pauci statuunt.

LVIII.

Jus occupandi bona, quæ morte domini vacant, duobus duntaxat modis, privata nempe hominis voluntate, vel legis provisione defertur.

LIX.

Ad privatam hominis voluntatem etiam Patrum referri haud inepte potest; quo, extra paucissimos casus attamen, Jure Civili hereditatem non deferri, certum est.

LX.

Ultima voluntas omnium plenissime testamento, quod postremum mentis iudicium *l. 19. C. de Testam.* dicitur, declaratur, non solemni tantum, sed & minus solemni.

LXI.

Hoc in *publicum & privatum* dividitur, quorum *illud* publica imperantium aut Magistratus jurisdictionem habentis, autoritate nititur, *hoc* voluntate utcunque declarata, ob favorem vel personæ vel causæ, vel aliam legitimam rationem a legislatore comprobata, sustinetur.

LXII.

Testamentum *Oblatum*, quod & *Theodosianum* dicitur,

*ditur.*



*citur. l. 19. C. de Testam.* sola Principis autoritate sustinetur, neque testes ullos requirit.

LXIII.

*Insertum*, quod & *judiciale* appellatur, sive apud acta expositum, sive actis insertum, publica actorum fide valet; quam voluntatis declarationem etiam extra locum iudicii fieri posse, statuimus.

LXIV.

*Privatum in Commune & Privilegiatum* dispesci, notum est; Illud etiam *mixtum* ut & *solemnne* dicitur, quod *adhibitis omnibus solennitatibus, jure civili ac Prætorio requisitis, fiat.* Mixti cognomen inde traxit, quod per illud in unam consonantiam jungi Jus Civile & Prætorium cœpit. §. 3. *Inst. de Test. Ordin.*

LXV.

*Minus solemnne* seu *Privilegiatum* est, quod omis- sis illis solennitatibus, factum ab illis est, quibus hoc modo testari, Legibus est concessum.

LXVI.

Species sunt, *Militare*, *Parentum inter liberos*, *Rusticorum*, *ad pias causas*, *tempore pestis*, ut & *necessitatis tempore factum.*

LXVII.

Parentum nomine hic veniunt, utriusque sexus parentes, etiam gradus ulterioris l. 51. ff. d. V. S. etiam Pater naturalis & legalis.

LXVIII.

Testamentum hoc nullos testes desiderat, modo de voluntate constet; requiritur tamen etiam, ut liberos parens instituerit nulla persona extranea ad-



jecta; deinde ut liberorum nomina, unciarum numerum & conditi testamenti tempus, literas edoctus, propria manu declaret.

LXIX.

Annexam habere clausulam codicillarem censetur, & foeminae etiam testes admittuntur.

LXX.

Ab hoc insigniter differt divisio paterna, quae heredes liberos non instituit, sed per modum legati liberis assignat, quantum capere quisque debeat.

LXXI.

De testamento pestis tempore facto agit *lex. 8. Cod. de Testam.* quae conjunctionem testium, non numerum remittit; Hodie si vel testator decumbat, vel domus infecta sit, duo sufficiunt.

LXXII.

Quamdiu valeat, postquam pestis remisit, disceptatur, Carpzovius. *P. III. C. IV. def. 5.* perpetuo valere statuit. Intra annum tantum valere, postquam pestis cessaverit, quidam putant; quod magis placet.

LXXIII.

Ad testamentum rusticorum, quorum simplicitati consulit. *Lex fin. C. b. t.* requiritur, ut ruri testentur, atque sufficiens testium numerus haberi nequeat. *Brunnem. ad d. l. ult. n. 2.*

LXXIV.

In testamento ad pias causas, duos sufficere testes Jure Canonico, *ex c. II. de testam.* patet. An sine testibus valeat disceptatur. Nos negantibus adstipulamur.

LXXV.



De Testamento tempore necessitatis facto disceptatur; quidam duos sufficere putant, alii quinque requirunt; quod posterius non placet.

LXXVI.

Hodie majoris fidei & cautelæ ergo, præter septem testes, ad huc notarium cum duobus aliis testibus adhiberi Testamentis solere, notissimum est; quod prouthodie sunt tempora, non de nihilo fieri, persuasum est.

LXXVII.

Jure Canonico testamentum valet coram Parocho & duobus testibus factum. *C. cum esset 10. de Testam.*

LXXVIII.

Præter causas exhæredationum *Nov. 115. c. 3.* expositas, annon æquè graves aliæ sint admittendæ, disceptatur. Nos affirmabimus.

LXXIX.

Non sola hominis voluntate, verum Lege etiam deferri hereditatem, notum est; quæ hereditas *Legitima* communiter appellatur, quæ non solum sanguinis, sed & patronatus jure ac intuitu olim apud Romanos deferre batur, cui juri quin hodieque adhuc dum locus esse possit in iis locis, ubi homines proprii & glebæ adscripti habentur, dubium non est.

LXXX.

In successione legitima, prima causa est liberorum; parentes enim ad bona liberorum ratio miserationis admittit. *l. 7. §. 1 ff. si Tab. Test. nullæ exstab.*

LXXXI.

Nepotes vel ulterioris gradus liberi, modo in  
stir.



Stirpes, modo in Capita succedunt, prout vel ex una, vel verò diversa stirpe, hoc est diversis filiis aut nepotibus sunt, succedunt.

LXXXII.

Jus repræsentationis, nunquam locum habet in ascendentibus; in descendentibus semper ac in infinitum; In collateralibus ultra fratrum ac sororum liberos non extenditur.

LXXXIII.

Per subsequens matrimonium legitimi, legitime natis per omnia exæquantur. *l. 10. C. de Natural. liber.*

LXXXIV.

Per rescriptum Principis legitimi non succedunt, nisi aut clausula de succedendo fuerit legitimationi adjecta, aut legitimi & justii non existant.

LXXXV.

Pro justis liberis omnino habendi, qui post consensum conjugalem intervenientem, ante benedictionem sacerdotalem, nati aut concepti etiam sunt, quia nulla indigent legitimatione.

LXXXVI.

An fratrum & sororum liberi soli cum ascendentibus succedant, Disceptatur. Rectius negari nos sustinebimus. Dissidentes non juvat *Nov. 127. c. 1.*

LXXXVII.

Non video ullum hodie Bonorum possessionis usum, in successione conjugum *Unde Vir & Uxor*; cum hodie pingviore jure Uxor ad mariti bona admittatur, ex dispositione *Novelle 117. c. 5. & Auth.*

*Pre-*



*Præterea C. Unde Vir & Uxor.* cum ipsis nempe liberis & cognatis, & modo in quartam, modo in virilem portionem, pro numero liberorum succedat.

LXXXVIII.

An maritus etiam lucretur quartam, ex bonis prædefunctæ Uxoris locupletis, valde controvertitur. Nos negativam tuebimur.

LXXXIX.

Inter Jura quæ circa rem aliquam nobis competunt, principatum obtinere Dominium, in dubium nemo temere vocabit; est autem Dominium, Jus circa rem corporalem legitime competens, quo de re illa disponere, illam alienare & amissam vindicare a quocunque possessore, quis potest.

XC.

Jus hoc ad solas res corporales pertinet, incorporalium enim dominium non datur.

XCI.

Eminens quod dicitur, ad Juris privati Consultos non pertinet, qui solo Vulgari sunt contenti.

XCII.

Ad Condominium inter cætera requiritur, ut uno plures isti, quibus competit, uno nomine, unaque appellatione communi, non comprehendantur.

XCIII.

Inepti sunt, qui Dominium *utile* s. *inferius* non admittunt; Ejus species sunt Emphytheusis, Superficies, & Feudum.

XCIV.

Quasi Dominiū in opinione fundata totū consistit,  
C quale



quale Bonæ fidei possessori tribuitur, quodq; actionem  
realem producit.

XCIV.

Possessionem nimis arctè Græci describunt,  
quod sit *animo Domini detentio*. Nobis est *Jus in-*  
*sistendi rei*, præsertim corporali, vel cum vel absque  
*opinionem domini, ex alia attamen causa probabili.*

XCVI.

Possidere Jctis est, *rem tenere cum animo rem*  
*sibi habendi, propter Jus aliquod in re constitutum.*

XCVII.

In possessione esse, est *rem tenere, citra Jus a-*  
*liquod in re constitutum.*

XCIIIX.

Compossessio tribuitur pluribus condominis,  
una communi appellatione non comprehensis, rem  
indivisim communem detinentibus.

XCIX.

Inter Dominum Feudi & Vasallum nulla est  
compossessio.

C.

Ad possessionem civilem, quæ talis scilicet dici-  
tur *ratione modi possidendi* h. e. qua rem semel ap-  
prehensam, postea & absentes animo retinemus ac  
possidemus, requiritur *potentialis apprehensio*, ut  
rem quodocunque volumus, actu corporeo tenere  
possimus.

CI.

Potentiali hac apprehensione privatus, possessio-  
ne prorsus excidit.

CII.



Civili huic possessioni quæ opponitur, *naturalis possessio, detentio est, per quam corpore aut actu corporeo quis rei insistit, quo cessante, statim amittitur. In hac consistit Dominium ferarum.*

CIII.

Alio sensu dividitur iterum possessio in *naturalem & civilem*, a forma nempe possessionis ; & possessio civilis dicitur, *quæ conjuncta est cum opinione Domini. Naturalis vero, quæ hac opinione destituta est, sive a qua opinio domini abest.*

CIV.

Priore modo Dominus, b. f. possessor, item missus in possessionem ex secundo decreto, possident. Posteriore, Creditor, Usufructuarius, Usuarium, & is, cui habitatio concessa est. Frustra vero Vasallum, Emphyteutam & Superficiarium aliqui huc referunt.

CV.

Creditor pignus juste possidet quidem, non tamen bona fide possidet.

CVI.

Acquiratur possessio per apprehensionem animo & corpore factam.

CVII.

Ardua quæstio est; *An Statuto aut Consuetudine possit introduci, solo animo absque corpore, possessio ut acquiratur?* Quod negare, nos nulli dubitamus.

CVIII.

Interim id fortasse negandum non erit, induci statuto aut consuetudine posse, ut ipso jure transiisse possessio censeatur.



Civilissima Jctis hæc possessio cognominatur, quæ tamen non recuperandæ, sed adipiscendæ tantummodo possessionis interdictum parit.

CX.

Quamvis dominium non nisi ex una causa contingere possit, ex pluribus attamen causis rem eandem possidere nos posse, certissimum est.

CXI.

Ad Voluntariam possessionis amissionem, refertur *Constitutum possessorium*, quod describi potest, *actus fictus per quem nulla interveniente traditione, possessio transfertur.*

CXII.

In *simplex & cum precario* Doctores dividunt; illud omnem possessionem transfert; Hoc civilem tantummodo; corpore enim possidet, qui rogavit; ille vero qui rogatus est, *animo non diceffit a possessione*, inquit *Pomponius J.C. l. 15. §. 4. ff. de precario.*

CXIII.

Usucapio ad Jus Civile frustra refertur, & est talis acquirendi modus, *quo per continuationem possessionis, temporis lege definiti, acquiritur.*

CXIV.

Inter Requisita eminet *Bona fides* quam Principio h. e. tempore traditionis adesse, Jure civili satis est, secus res habet Jure Canonico, quo ad ultimum Usucapionis momentum requiritur. *c. 5. & fin. de Prescript. c. posterior i. d. R. J.*

CXV.

In omni, etiam longissimi temporis præscriptione,



ptione, requiritur Jure Canonico: Bona fides.  
CXVI.

Titulus est *causa habilis ad defendendam possessionem*; qui in rerum incorporalium Usucapione, & 30. annorum præscriptione non requiritur.

CXVII.

Titulus *pro suo* solus ad usucapionem non videtur sufficere.

CXVIII.

Ad Usucapionem possessio civilis, bona fide & justo titulo ornata, requiritur.

CXIX.

Sed & continuatam esse oportet, quæ continuatio etiam a diversis fieri personis potest.

CXX.

In herede non requiritur bona fides; sed neque ex sua persona inchoare usucapionem hic potest, qui possidet rem, quam esse ex hereditate putat, & non est, *l. 3. ff. pro Herede*. Triginta tamen annorum præscriptione defendere se potest.

CXXI.

Usucapionem injustum esse acquirendi modum, frustra contendit *Cyprianus Regnerus in quadam adversus Salmasium de Mutuo Epistola*.

CXXII.

*Agere* significatione latiori notat *quocunque modo litigare*, h. e. actionem vel intentare vel obmotam excipere, quorum illud est actoris, hoc rei. *Rubr. Inst. de lis per quos ag. poss.*

CXXIII.

Actio plenissime describitur *Jus persequendi in*  
judicio



judicio quod nostrum est, hoc est, *jure aliquo in re, ad nos pertinet* aut nobis debetur.

CXXIV.

Summa actionum divisio dicitur, per quam in *Reales & personales* dividuntur: quarum hæc fontem habent *Obligationem*, illæ *Jus aliquod in re nobis competens*. Quanquam si paulo accuratius rem introspeciamus, & causam efficientem proximam omnium actionum, quæ vel per se sufficiens ad producendam actionem, vel insufficientis, nisi aut lege aut consuetudine, aut Prætoris Edicto juvetur, consideremus, hæc summa dici actionum divisio nequeat; sed illa in *nativas & dativas*, summa potius fit habenda. Sed hæc forte leviora sunt.

CXXV.

Actionis dativæ exempla sunt, *Condictio ex lege, condictio furtiva*, item *actio ad supplementum*, ad obtinendum id, quod *Legitimæ* deest

CXXVI.

Actiones reales dicuntur *Vindicationes*, personales *Conditiones*. Actione reali agimus contra illum, qui nullo jure nobis obligatus est, de re tamen aliqua ipsi controversiam movemus.

CXXVII.

Insigne est inter actionem Realem, & rei persecutoriam discrimen.

CXXVIII.

Actio directa non uno modo dicitur; modo enim contrariæ, modo utili, nonnunquam Prætoris hæc opponitur.

CXXIX.



Actio pœnalis, quæ rei persecutoriæ opponitur, est actio civilis, qua quis persequitur id, quod neque sibi abest, neque adversario adest; Poena h. l. est quicquid extra rei persecutionem, ejusque, aut damni illati, æstimationem est.

CXXX.

Ultra quadruplum nullam extendi actionem, notum est, sed an pœna conventionalis possit excedere quadruplum? disceptatur, quod nos affirmabimus.

CXXXI.

Interdicta quæ olim *jussa* erant, quibus fieri aliquid, vel non fieri, Prætor jubebat, hodie sunt actiones, quibus de possessione vel quasi contenditur, & quidẽ ordinariæ.

CXXXII.

Interdictum *Quorum bonorum* non datur adversus bona fide & Justo titulo, possidentem.

CXXXIII.

Neque adversus debitores hereditarios.

CXXXIV.

Affine huic interdicto est, remedium *L. ult. C. de Edict. Div. Hadr. tollend.* quod an etiam Legatario competat, disceptatur; Nos negantibus suffragabimur.

CXXXV.

Heredi fideicommissario cui restituta est hereditas, ut & in re certa instituto, competere, quinimo ad codicillos quoque vim suam extendere hoc Remedium, nobis extra dubium est.

CXXXVI.

Sed & heredi Nuncupativo dari, modo in Scripturam redactum a tabellione sit testamentum, asserere nulli dubitamus.

CXXXVII.



Interdictum *Quod legatorum* etiam contra donatarium mortis causa, qui rem a defuncto non habet, competere, nos firmiter statuimus.

CXXXVIII.

Interdicti Salviani præ Actione Serviana insignem esse utilitatem, nemo facile dubitabit.

CXXXIX.

An pro rebus tacite obligatis etiam detur, controverti solet. Nos negantibus adstipulamur.

CXL.

Interdictum Uti possidetis datur possessori turbato, etiam naturaliter & precario possidenti.

CXLI.

An per oppositam Domini exceptionem elidatur Interdictum, quaeritur? Affirmans sententia nobis æquior videtur.

CXLII.

Hoc, ut & *Utrubi* Interdicto, Jure Civili is vincit, qui Interdicti, aut litis contestatæ tempore possidet; at Jure Canonico, qui antiquiorem & Justiore possessionem probat, præfertur. *C. licet. 9. de Probat.* Nos Juris Civilis dispositionem præferimus.

CXLIII.

Judicii possessorii in *Ordinarium & Extraordinarium* (quod *summarium, summarissimum & Momentaneum* alias quoque dicitur) divisio bene habet; quæ duo judicia, tum forma s. modo procedendi, tum effectu quoque differunt.

CXLIV.

A Petitorio ad Possessorium Jure Civili licitum esse decursum, controversia caret, *l. 12. §. 1. ff. de acq. vel amit. poss. & l. 18. §. 1. de vi & vi arm.* A quo non discrepare Juris Canonici dispositionem *C. Pastoralis 5. de cause Posses. & propriet & c. 36. de Testibus*, nos firmiter statuimus.

CXLV.

Ad Interdictum Unde Vi, non requiritur justa possessio, unde & prædoni datur, quanquam non contra Dominum, qui prædonem manifestum dejecit.

S. D. G.